

In  
26

Q. D. B. V.  
FABVLOSA  
DVOBVS  
ROMANO-GERMANICIS  
IMPERATORIBVS  
SINGVLARITER AFFICTA

A  
DVOBVS  
INGENIO, DOCTRINA & MORIBVS  
ORNATISSIMIS  
JUVENIBVS STUDIOIS

ANTE  
GYMNICARVM  
CVM  
ACADEMICIS  
MVTATIONEM OPERARVM  
IN

ACTV ORATORIO  
d. XIV. Martii A. G. MDCCXIV.

HORA IX.  
VLTIMVM  
ALMAE BVDISSAE  
MVSIS  
VALE  
GRATE DICTVRIS  
SOLIDE ATQ; MODESTE  
IN

AVDITORIO SVPREMO  
DEMONSTRANDA.

VT  
INCLVTAE & FLORENTISSIMAE  
HVIVS REIPVBLICAE  
PATRES GRAVISSIMI  
CAEYERIQ; EX OMNIBVS ORDINIBVS  
LITTERARVM AC VERITATIS

FAVTORES AESTVMATISSIMI  
AVDIRE MINVS GRAVENTVR  
DECENTISSIME COMPRECATR,  
M. DANIEL BARTSCH,  
GYMNASII BVDISSINENSIS RECTOR.

BVDISSAE, LITERIS RICHTERIANIS.

BIBLIOTHECA  
MONICKAVIANA



**E**Ruditionem veram, quam Cebes ille Thebanus, in tertio picturae ejusdam septo repræsentat, Historiam qui vocat, a veritatis scopo non aberrare videtur. Historia ab ipso orbis conditi principio, non admirandas magis quam imitandas complectitur virtutes, & ad subsequendum seculorum desert posteritatem. Er dum virtute atque scientia nititur humana societas, ad utramque felicissime pandit fores Historia. Historia ad vitæ institutionem utilissima censetur, & quod Tullius L. 2. de Oratore, C. 9. ait, sola est testis temporum, lux veritatis, vita memoria, & magistra vitæ. Est, ut cum Diodoro loquar, Historia cultus virtutis, testis sceleris, benefica in omni humanum genus. Est humane ruditionis atque perfectionis lux quæ primigenia. Est materia prima, qua desinit corpus sumus absque elemento, absque punctis linea. Quomodo quæso tot tantaque præjudicia, pestem humani generis præcavere possumus, si historia non sumus instructi? Hujus ignorantia omnia tenebris obruta, omnes pueri esse dicantur. v. Præfat. Nicol. Reusneri in *Βασίλειον* Genealog. Eliæ Reusneri. In quam sententiam discessionem facit Cælius Calcagninus Lib. de ratione judicandi, in Historia, inquam, quicumque parum versatus est, is jure puer, etiamsi ad multam ætatem venerit, vel Ægyptiorum testimonio nuncupari potest. Nec immerito a Dionysio Halicarnasso *ἀρχὴ Φερωνεύου καὶ σοφίας*, à Nazianzeno *σημειωθὴ σοφία*, & à non nemine oculus Polyphemi appellatur. Philologis enim Historia Philosophicarum lecturam, Medicis Historia rerum naturalium, Juris & Theologiae studiosis Historia civili & Ecclesiastica opus est. Singulariter vero prætextatis s. nobilibus Historia est ornamento atque usui, ne in itinere aut consortio literario mari magis quam Hipparchion aut scapha inveniantur avide sermonem de 7. testibus, de servitute Cloacæ, de vino generoso &c. expectantes. Cur autem Historiae studium juventuti exigue & raro plerumque proponatur, nos dicere non possumus. An ideo fiat, ne discipuli ope historiae eruditiores mox præceptibus reddantur, ut nonnulli hodie autumant, etiam ignorare volumus. Historia multarum rerum exemplis privatos viros imperio dignos reddit, Imperatores quoque immortalæ gloriæ ad præclara facinora impellit, milites propter laudem, quæ eos, qui vitam egregie profuderint, comitatur, improbos infamæ metu & vitis deterret. Imo historia sæpe cibum & somnum suspendere, famem & sitim explere, & quod majorem excitat admirationem, Medicis vel potius empiricis atque Aesculpi præstantior morbum depellere potest. En, Alphonsus Aragonum Rex Capuæ laborans adversa valetudine, Medicis multa medicamenta adhibentibus, in gravissimo morbo Curtii historiam de Alexandri M. rebus gestis descriptam legere cepit; cujus lectione delectatus cum omnem morbum improbitatem superasset, sanitati restitutus, valeat, inquit, Avicenna, valeat Hippocrates, valeant alii Medici, & vivat Curtius, restitutor sanitatis meæ! v. Antonius Panormita dedicis & factis Alphonsi Regis Aragonum, & commentar. Ænæ Sylvii in eum. Derivatur autem vox Historiæ ab *ἵστωρ*, sciens s. cognoscens, ut vult Simplicius, vel ab *ἱστυ* & *ἱστῶ*, quando quid novimus non leviter, non ex rumore, sed indicio & judicio visus, sive nostri, sive alterius, qui non fallit, ut vult Becmanus in Introd. ad Lat. ling. Et hoc est, quod Comicus ait: Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem. Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, plane sciunt. Historicus itaque sicut ea quæ certe scit. Non enim laudandum, si quis falsa narret & dicat: post centum annos nemo me refutabit, quod aliqui de Jovio scriperunt. Quare Theopompus dicere solebat, eum esse optimum rerum bellicarum scriptorem, qui quam plurimorum certaminum civilium particeps fuerit, & quam plurima m. pericula expertus sit. Quibus verbis innuere voluit, eum tantum re vera esse bonum Historicum, qui de iis scribat res, quibus ipse interfuit. v. Polyb. l. 12. Hist. Sed ita paucissimos nos habere Historicos, quis non intelligit? Hinc definitio hæc: Historia est descriptio rerum gestarum, quibus interfuit is, qui narrat. v. A. Gell. lib. 5. c. 13. est imperfecta & nimis angusta. Sicut etiam hæc: Historia est narratio rerum gestarum ab ætatis nostræ memoria remota, v. Cic. Lib. 1. de Invent. Historia enim non tantum res antiquas, sed etiam recentiores complectitur. Nec Historia est rerum gestarum narratio, quia non omnis narratio rei gestæ est Historia. Est autem historia notitia s. cognitio rerum singularium, qua rum memoria in vita humana utilis est ad bene beataque vivendum. Esse autem studium Historicum laborem sive improbum, multisque obstructum difficultatibus, vel ex ipso Tullio colligere est. Hic dicendi laude aliis facile antecellens, cum ab ipso tale opus postularetur, declinabat, non, inquam, recusarem, si mihi ullum tribueretur vacuum tempus & liberum; neque enim occupata opera, neque inædipedito animo res tanta suscipi potest, utrumque opus est & cura vacare & negotio. v. Lib. 1. de legibus. Historiam nec institui posse nisi præparato otio, nec exiguo tempore absolvi, idem c. l. fatetur. Hanc ob causam etiam C. Sallius Apollinaris Sidonius, vir genere illustri, & Reipublicæ primùm, deinde & Ecclesiæ magna pars res Gothorum a Leone vehementer eflagitatas explicare renuebat, v. ejus Epist. Lib. 4. Hinc nemo expectet leges & qualitates Historicorum, sed alii nobis longe doctiores de iis existimant. Georgius Schubartus, Orator & Historicus, cum viveret, Jenson. in Prælectionibus publicis A. 1695, triplicem Historici in Octavio Ferrario celebrat qualitatem: Prudentiam, veritatem & eloquentiam. Et refert Tullio de oratore, prima lex est historico data, ne quid falsi dicere audeat: deinde ne quid vetri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simulatit. Sed miremur hic Ciceronem subdolum! Cumenim

à Luctio res suas memorie commendari peteret, hanc legem negligere iussit, & amoris plusculum, quam concederet veritas, largiri. Adeo ne vir clarissimus parum sibi glorie adeptus videbatur, nisi ad aliena mendacia confugeret. Ab Historico non ita Poëta, ant Oratore fed teste veritas postulat. Hinc recte Historiam veritatis imaginem nominat Ludovicus Vives L. 2. de causis corruptarum artium. Et sane lex adeo Historia veritas est, ut etiam ignorare spontaneum mendacium oporteat scriptorem rerum gestarum, cum eam personam induerit, que de omni securato ævo veritatis studio bene mereri debeat. Quare sacrilegi sunt & posteritatis quodam modo parricidæ, qui mentes ejus, inhiantes rerum ante gestarum scientiæ, (quæ omnibus mortalibus cupido ingenita est) ceu limpido salubrique potui, turbido venenatoque mendaciorum scite grassantium toxico fascinant, atque in ævum delirare omne faciunt. v. Barth. animadvert. in Briton. L. 6. Philipp. pag. 362. Citandi hic essent artis historica scriptores, sed me intra præfixos mihi limites continens demitro L. Bi ad Morhoff, Polyhitt. T. 3. L. 4. §. 3. & Reimann. Einleitung in die Hist. Litt. des dritten und letzten Theiles drittes Haupt-Stücke pag. 375. seqq. Cum autem non omnes paringenio scripserint, & in utroque multi, imo vero optimi desiderentur, non supervacaneum aut ingratum erit unum alterumve vel modo laudasse. Inter antiquos huc pertinet Lucianus Samofatenis, incomparabilis Philosophiæ, præcipue autem vel unice potius, moralis Doctor, qui cum divino Socrate parum ad nos pertinere Philosophiam existimans, nisi ad usum vitæ referatur, eandem non libris solis sed magis ex consuetudine cum bonestis hominibus hauriri statuens, confirmare vilis est, quod multi dicunt, eruditionem a recto sensu bonisque institutis abducere istos, qui solos libros eorumque sententiâ assidue spectarent. Non certe Atheus, v. D. Joh. Treueras, in Dissert. de Theol. Lucianij en. 1. 697. Nec a canibus læteratus, uti quidam sycophantantur. Idem Vir optimus expertus, quod & hodie non raro fieri solet, ut scilicet illi, quorum opiniones præjudicii, antiquis muricidis, communè Schlandriano sunt adversæ a tetricis censoribus tanquam canibus varie arrodantur. Scripti nos ter Polyhittor inter alia, opus aureum ad Philonem cujus titulus: *næs dei isagias ovry zedæm*, quomodo Historia scribenda sit. Perfringit in illo non sine excellenti mentis acumine Miletium quendam, tum Creperium Calpurnianum Pompejopolitam, Callimorphum Medicum hastatorum legionis sextæ, Philosophum Corinthium Antiochianum Hieronicem Apollinis Demetrium Sagalassentem, Pseudium, aliosque inepros illa ætate belli Romanorum cum Parthis A. C. 165. commisit scriptores, tum docet historicum alienum esse debere a rationibus encomii & invective, nec voiuptati contentare alii lectorum, nisi que ex veritate consequatur; neque in rebus nihili prolixiorum præcipuos transvolare, sed prudentia civili & eloquentia instructum, rei que militaris peritiam, res pro ut getta sunt diligenter inquilias & in commentarios prius relatas narrare libere, perspicue, graviter non parvis illis ad quos scribentis amor odium, metus & spes forte spectat, sed omnibus & posteris præcipue, v. T. 2. operum suorum, Conf. Joh. Alb. Fabricij Bibliothec. gr. L. 4. C. 16. p. 496. Cl. Reimannus c. l. ita de eo judicat. Der Weltbekandte Griechische Philosophus Lucianus hat unter andern artigen Werken auch einen Tractat hinterlassen, wie ein Geschichts-Schreiber seine Feder führen sollte, und was er bei dem Aufsatze der Historie vor Fehler vermeiden, und vor Tugenden in Licht nehmen sollte. Und selbiges so beschaffen, daß es mit guten Dicht unter die besten Schrifften des Lucian: kan gezehlet werden. Der Stylus ist unvergleichlich, der Vortrag lieblich und vergnüglich. Und die Gebote und Verbothe, die denen Geschichts-Schreibern darinnen gegeben werden, sind so nöthig, nützlich und wahrhaftig, daß sie niemand, als derjenige, der sie Lust zu übertreten hat, tadeln kan. Et alius aliquando sic de eo sentiebat: Unter denen, die von der Kunst eine Historie zu schreiben geschrieiben haben, ist unter den vornehmsten Lucianus, der deswegen zu recommendiren ist, weil er auf Saryrische Schreib-Art durch artige Exempel mehr weist, was ein Historien-Schreiber meiden, als was er für Kunst gebrauchen soll; Denn indem zu einer rechten Historie allenthalben Klugheit, übertroffen und Wahrnehmung dessen, was sich wohl thut, erfordert wird; Als können davon nicht allzumane Regula gegeben werden, daß sich nicht eine jede leicht disputiren ließe. Ei ex recentioribus merito adjuventus Gerhardus Joh. Vossius, de quo Grotius joculariter dicere solitus fuit: Se dubitare, scriberet ne accuratius, angigneret felicis. Scripsit autem de arte historica, s. commentationem de Historia & Historices natura, Historique scribende præceptis, prod. altera vice Amstelod. 1663. Et hic audiendus est Reimannus c. l. pag. 4. 12. Es hat von der historischen Kunst niemand künstlicher geschrieiben, als Vossius. Er hat alle diejenigen, die vor ihm dergleichen übernommen, übertroffen, und denen, die nach ihm sich an diese Materie gemachet, die Hoffnung ihn zu übertreffen, benommen. Quid vero de hac sententia viri ejusdem magni nominis, Vossium in hoc libro multa quidem in lectione versatum, sed nimis subtilem, & interdum judicio destitutum reperiri, statuendum, aliis relinquo. Locum etiam hic meretur ingeniosissimus Rapinus, nisi quod multis in locis sibi est contrarius. Apprime huc spectant sic dicta Parthasiana, quæ non transitorie, sed curate pensitata luce Historicam artem clarissima illustrant. Quamvis prudens historicus magis nasci, quam regulis illis fieri autemetur. Quid nunc dicendum de tot rerum historicarum scriptoribus? Nonne plerique illotis pedibus in hæc sacra irruerunt? nonne alii ex amore Patriæ, Personæ, ex odio alii, alii ex aliis animi passionibus scripserunt? Quid non in Historia ausa est Græcia mendax? Quid non finxit & excogitavit

26 X 3380895  
 cogitavit Roma superba? Et tamen nescio qua superstitione ducti Præceptores plerique utriusque  
 scriptores & Autores classicos insummæ perfectionis, soliditatis atque veritatis classe, falli plane  
 nescios miseræ juventuti proponunt. Quid videtur Tibi de hoc Ciceronis Judicio, cum Lib. 2. de  
 Orat. Herodotum Historiæ Patrem celebret, & alibi scribat, innumerabiles apud eum esse fabulas?  
 Polybius, ætæ veritatis studiosissimus videatur, integrum tamen librum sextum eum in finem scrip-  
 sisse, quo civibus suis persvaderet, ut se Romanis virtute atque prudentia illustrissimis subjugarent.  
 Quas adulationes viri prudentiores ex ipso Polybio colligere atque resutare manifeste possunt. Pro-  
 dit & hic insignis ille adulator Paterculus, quem illi plerumque etiam commendare atque ipsi Tac-  
 ito antepone non dubitant, qui mellifera assentandi libidine sunt affecti. Quem latent Livii  
 & Polybii Latini Græciæque hominis perpetua pugna? quorum alter Romanorum victorias de Gal-  
 lis dubias facit, quoque alter velut pueros in triumpho ducit pro arbitrio, v. Brunner. in *Annal. Boji-*  
*cis.* Quomodo Dionysius, Livius, Plutarchus sibi invicem contradicant, vel ex Christ. Ad Ruper-  
 ti animadversionibus ad *Enchirid. Pompon. c. 3.* perspicui potest. Quidam incredibilem relatu com-  
 mendationem parant, & lectorem aliud acturum, si per quotidiana duceretur, miraculo invitant.  
 Quidam credui, quidam negligentes sunt; Quibusdam mendacium obrepit, quibusdam placet.  
 Illi non evitant, hi appetunt. Et hoc commune de tota natione, quæ approbati opus sumus & fieri  
 non putat posse, nisi illud mendocia aspersit. Sunt hæc Senecæ verba *Nat. Quæst. l. 3. §. 1.* Audiamus  
 quæso, quomodo Curtius suam adstruat fidem & officium. Equidem, sic habent verba L. 9.  
 C. 1. §. 34. plura transcribo, quam credo. Nam nec affirmare sustineo, de quibus dubito: nec sub-  
 ducere, quæ accèpi. *Conf. Voll. de arte Hist. C. 9. & Freinsh. in h. l.* qui loca parallela ex Suetonio,  
 Tacito, Herodoto, de quolibetque, qui res gestas Ægyptiorum descriperunt Diodorus Siculus  
 L. 1. C. 3. judicet, eos multa præter rei veritatem voluptatis gratia finxisse, collegit. Imo Curtius  
 paucis interpositis C. 2. Alexandri M. verbis milites compellens, non est, inquit, improvisa volis  
 mentientium vanitas. Nunquam ad liquidam fama perducitur: omnia, illa tradente, majora  
 sunt vero. Nostra quoque gloria, cum sit ex solido, plus tamen habet nominis, quam operis.  
 Et sic scriptores Historiæ civilis, ecclesiasticæ, literariæ, &c. fide sunt sæpe dubia, suspensa, fal-  
 sa; falluntur & fallunt. Hoc sæcum reputantes duo Gymnasii nostri cives, antequam cum aliis  
 non paucis in Academicis se reciperent, de fabulosis, quæ duobus R. G. Imperii Imperatoribus assi-  
 cta sunt, ultima verba memoriter facere volunt. Et quidem

1.) De Fabulosis *Friderici Zenbarbi,*

JOHANNES HERRMANN, Patre Joh. Herrmanno, Cive honesto atque Pellione, Bi-  
 schoffsverde in Misnia natus A. 1707. v. svalu & instinctu plurimum Reverendi atque Doctissimi  
 Joh. Christiani *Jenschii*, Archi-Disc. ibidem longe meritissimi, Budissam accessit, & a B. Rosen-  
 bergio, Rectore meritissimo, cujus manes submissa mentis ceremonia semper veneratur, Gymnasii  
 hujus factis inscriptus est; a quo tempore commemorabilem Patronorum amorem haud obscu-  
 re intellexit. Sicuti & Magnifico atque Eruditissimo *Behnauero*, Consuli Reipublicæ nostræ ho-  
 die clavum gerenti, gravissimo, Alunorum Matrigianorum Ephoro providentissimo dignus vi-  
 dius, qui in illorum contubernium adscisceretur. Postquam itaque partes suas adhuc pie, diligen-  
 ter & ita non finistre egit, tales omnino in literis fecit progressus, ut non sine laude in aliam  
 Pileam ad divinarum humanarumque legum studium rite tractandum, se convertere possit. Faxit  
 DEus, ut feliciter abeat, felicissime redeat.

Prosequetur eum honoris & amoris causa sermone latino

JOH. FABIAN Gottlob de PONICKAU & PILGRAM, Eqv. Lus. Sup.

2. De Fabulosis *Constantini Magni,*

JOHANNES JOCKUSCH,

In nostra civitate natus, Patre natus est Johanne Jockusch, Mercatore ferrario, quo Anno 1701.  
 sexto saltem ætatis anno orbatus, Matris suæ lectissimæ curis relicti, rite fidei Christianæ & literæ-  
 rarum elementis initiatus A. 1705. civium Gymnasii hujus numero adscriptus est. Id interea hæc  
 adolescentem non exiguo mentis acumine præditū fuit quætidie incitamento, ut majora eruditionis  
 capefferet incrementa, & in ipsa studiorum humaniorum penetralia descenderet. Ubi itaque pu-  
 blica atque privata diligentia ad non proletariam pervenit cognitionem, Divino nutu pariter Me-  
 dicæ artis arcana in Acad. Wittenberg. accedere ac indefessa assiduitate venerari sibi proposuit.  
 Abire autem non potuit, quin gratum animum erga Patrones & Fautores, quem adhuc tacitus alius  
 sit, publice exponeret. In votis habemus, ut eum pronior ubique comitetur fortuna.

Johann. Christoph. Hebold, Spremb. Lus. remanentium nomine ei congratulabitur.

Quod honestum institutum, ut *Patroni, Fautores, ac Amici* sanctæ, demille ac humane colendi,  
 præsentia sua honoratissima condecorare velint, denuo, quibus fieri potest precibus, sollicitatur  
 Quam multis nominibus in Musas nostras celebrandam benevolentiam non fabulosa fama,  
 sed sancta tabulis suis inferet veritas.



MC

Q. D. B. V.  
FABVLOSA  
DVOBVS  
ROMANO-GERMANICIS

IMPERATORIBVS  
SINGVLARITER AFFICTA  
A  
DVOBVS  
INGENIO, DOCTRINA & MORIBVS

ORNATISSIMIS  
JUVENIBVS STUDIO SIVS

ANTE  
GYMNICARVM  
CVM  
ACADEMICIS  
MVTATIONEM OPERARVM  
IN

ACTV ORATORIO

d. XIV. Martii A. C. MDCCXIV.

HORA IX.  
VLTIMVM  
ALMAE BVDISSAE  
MVSIS

VALE  
GRATE DICTVRIS  
SOLIDE ATQ; MODESTE  
IN

AVDITORIO SVPREMO  
DEMONSTRANDA.

VT  
INCLVTAE & FLORENZISSIMAE  
HVIVS REIPVBLICAE  
PATRES GRAVISSIMI

CAEZERI; EX OMNIBVS ORDINIBVS  
LITTERARVM AC VERITATIS  
FAVTORES AESTVMATISSIMI

AVDIRE MINVS GRAVENTVR  
DECENTISSIME COMPREGATVR,  
M. DANIEL BARTSCH,  
GYMNASII BVDISSINENSIS RECTOR.

BVDISSAE, LITERS RICHTERIANIS.

